



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

5 Quando liceat communicare non ieiunis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

## SECTIO V.

*Quibus in casibus liceat post cibum & potum, hoc sacramentum accipere propter sumentis necessitatem.*

Utrum hoc præceptum naturale non sit, sed positivum & Ecclesiasticum, certum est, posse interdum propter graves causas non obligare: quia lex positiva non obligat tam strictè, quin aliquando cesset. Duo ergo sunt præcipua capita, ex quibus maxime fieri potest, ut hoc præceptum non obliget. Vnum esse potest ex parte ipsius hominis, scilicet aliqua eius necessitas. Alterum ex parte ipsius mysterij: si ad illud consummandum, vel reuenter tractandum, necessarium interdum sit, hoc ieiunium non omnino seruare. De priori capite dicemus in hac sectione, de posteriori in sequente.

In præsentè ergo quaestione, dicendum est in mortis articulo, & in solo illo, licere, homini non ieiunio hoc Sacramentum accipere propter necessitatem: quando, scilicet, oportet viaticum accipere, & agrotus non potest sine graui detrimento, vel periculo ieiunius expectare, quod detrimentum seu periculum iudicio Medici expendendum est. Ita docent omnes authores supra citati. Ratio vero esse potest, vel quia in eo articulo obligat præceptum diuinum communionis, ut infra dicitur: vel certe, quia cum eo tempore maxime indigeat homo auxilio & ope huius sacramenti, non sinit expediens, ut Ecclesia id prohiberet, cum tanto dispendio. In qua re illud etiam morale est, & obseruandum, quamuis fortasse positum firmus vna vel altera hora post mediam noctem ieiunius accipere hoc sacramentum, amplius vero expectare non possit, non esse propterea necessarium ea intemptiua hora Sacramentum dare vel accipere: quia nec moraliter fieri potest sine magna difficultate, nec regulariter ad reuerentiam huius sacramenti expedit ita fieri, nec Ecclesiastica consuetudo, quæ est optima huius legis interpres, ita esse faciendum declarat. Illud etiam obseruandum est, huiusmodi casum non solum habere locum in periculo mortis naturalis, sed etiam violentæ, quando nec anticipari potest communitio, nec differri mors, vel supplicium, tunc enim eadem est ratio necessitatis. Nec quicquam refert, quod ab intrinseco, vel ab extrinseco proueniat.

Duo vero dubia hic occurrunt: primum est, an in eadem ægritudine liceat sapius Eucharistiam accipere post cibum & potum: nam Doctores fere omnes significare videntur semel licere. Et ratio adhiberi potest, quia per vnâ communionem fit satis diuino præcepto communicandi in articulo mortis: ergo postea seruandum est Ecclesiasticum præceptum non communicandi post cibum & potum: quia iam nulla est sufficiens necessitas vel ratio, cur cesset huiusmodi obligatio. Nihilominus aliqui recentiores dicunt, licere communicare hoc modo sapius in eadem ægritudine. Quam opinionem tenet Summa Tabien. verbo, Communio. §. 48. & Summa Armilla, §. 18. Et mihi videtur pia satis & probabilis, & imprimis, si status ægritudinis varietur: quia videlicet, homo prius fuit in periculo mortis, atque illud euasit, & aliquantulum conualuit: postea vero iterum incidit in simile periculum: & tunc non est dubium, quin possit iterum atque iterum totiesque communicare, quoties talis varietas acciderit: quia illa censetur, quasi noua ægritudo, & nouus necessitatis articulus. Deinde, si perseveret vel augeatur, periculum tamè duret aliquot diebus post primam communionem, verbi gratia, octo aut decem diebus existimo posse postea communicare post cibum & potum, si agrotus commode non possit Sacramentum suscipere ieiunius. Ratio est, quia non sola obligatio diuini præcepti est in causa, ut Ecclesia in eo articulo non obliget ad ieiunium, sed etiam ipsa necessitas, quæ in illo tempore & periculo maxima

Zzz 4 est:

regionibus, vbi non possunt distingui naturales dies per ortum & occasum solis: quia, vel præsentia, vel absentia solis continue durat per plures dies naturales nostros, in illis, inquam, regionibus oportebit lege Ecclesiastica designari, seu diuidi dies proportionatos nostris diebus naturalibus, eorum principia, & fines modo aliquo artificiali designando, ut in simili quaestione iterum infra dicemus, agentes de hora sacrificandi.

Sed quid si, quamuis post mediam noctem nihil sumptum sit, tamè vel ob carentiam somni, vel propter nimium cibum, ita sit homo indigestus, ac si eadem die, vel parum antea comidisset. Quidam enim dixerunt, hanc dispositionem non minus impedire communionem, quam, si cibus sumptus esset eadem die. Quod significauit Glossa in cap. Nihil. 7. quaest. 1. propter can. Tribus, de consecr. dist. 2. vbi dicitur, hunc sacrum cibum non esse profanis cibis miscendum, & idem colligitur ex Gloss. in c. Si constiterit, de accusationibus, quæ in illo textu fundatur, in quo punitur Sacerdos, qui post cibum præcedente nocte sumptum, nulla dormitione interposita, Missam dixerat sequente die. Respondetur tamen, hoc non esse per se malum, quia reuera nullo est iure prohibitorium: finis enim præcepti non cadit sub præceptum, sed materia: quod autem hic præcipitur solum est, ut eo die nihil cibi vel potus ante communionem sumptum sit, & hoc seruatur in eo casu: quod autem homo hoc fit vel illo modo dispositus, pertinet ad finem præcepti, non ad rem præceptam, & ita est intelligendus ille Canon. Tribus. Seclusa autem positio prohibitionis hoc non est per se, & ex obiecto malum, ut ex se constat. Dico autem, per se, quia ex accidente, si sit periculum vomitus, vel alterius similis irreuerentia, vnde poterit contrahi aliqua malitia. Et hinc etiam fit, non esse necessarium, ut interponatur aliquis somnus, quia nullum est de hoc præceptum: & interdum sancti viri traducunt integras noctes in somnes in vigiliis, & orationibus, & statim sacrum faciunt. Neque in dicto cap. Si constiterit, punitur Sacerdos propter solam carentiam somni: sed quia tota præcedente nocte in tabernâ fuerat, & inde iur ad publicam Missam cantandam: punitus ergo propter scandalum, & propter irreuerentiam: & quia vehementer præsumptio esse poterat, etiam post mediam noctem aliquid comedisse, vel bibisse.

Ex quo tandem addendum est cum D. Thom. hic: hac lege non esse prohibitum, ne post communionem cibus sumatur post tempus aliquod, quia hæc lex solum requirit ieiunium antecedens, non consequens communionem: præcipitur enim ieiunium, tanquam dispositio ad ipsam communionem, in qua maxima deuotio ac præparatio hominis requiritur, & ideo præceptum est hoc ieiunium vsque ad communionem, qua finita, cessat hæc obligatio: & reliquum tempus relinquatur hominis arbitrio, vel naturali obligationi: ex qua sola colligi potest, non posse esse per se malum statim post communionem aliquid cibi vel potus sumere, cuius signum est, quia in Missa, statim post communionem, ablutionem sumimus, quod in illa actione non solum licet, sed etiam decet, quia non tam propter corporis refecutionem fit, quam propter ipsius sacramenti reuerentiam. Alias vero expedit regulariter post communionem aliquo tempore à communi cibo & potu abstinere propter maiorem deuotionem, maioremque sacramenti reuerentiam. Sic Chrysostomus homilia 25. in 1. ad Corinth. scribit. Quid igitur ieiunare oportet post eius acceptionem? Non hoc dico, nec cogo, licet bonum sit: non tamen compello, sed admo-  
neo.

*In solo mortis articulo non ieiunio com munitio non e licet.*

*Dubium.*

*Sum. Tabi. Armilla. Solutio.*

est: non est enim verisimile, voluisse Ecclesiam, hominem maxime indigentem auxilio tanti sacramenti, priuare illius ope & subsidio, praesertim, cum non sit in eius potestate morali ieiunium accedere, & aliqui possint eo tempore multa occurrere, quae necessitatem augeant, vt v. g. tentationes, peccatorum pericula, ad quae vincenda & superanda maxime indiget homo auxilio & solatio huius sacramenti. Non est autem hoc extendendum extra tempus periculi mortis; tum quia nulla alia esse potest tanta; tamque vrgeas necessitas; tum etiam, quia secluso hoc periculo, vix potest esse moralis casus, in quo cogatur homo diu priuari hoc sacramento, eo quod non possit ieiunus accedere: leges autem humanae dantur de his, quae moraliter ac frequentius accidunt. Denique, si post sumptum viaticum agrotus breui tempore viuat, non est illi sapius dandum hoc sacramentum post cibum & potum: quia iam nulla est moralis necessitas, & ita sunt exponendi Doctores, qui tantum semel communicandi hoc modo videntur licentiam praebere: loquuntur enim de re morali, prout frequentius accidit moraliter attem loquendo, & vt in plurimum, hoc satis est.

*Difficultas.* Secundum dubium est, an liceat Sacerdoti, communicare post cibum & potum propter similem necessitatem, non suam, sed alterius, id est, vt conficiat sacramentum ad communicandum agrotum, qui est in probabili periculo mortis in eadem die futurae.

*Maior.* In qua re Maior in 4. dist. 49. quaest. 3. ad 5. amplissimam facultatem Sacerdotibus concedit: dicit enim propter similem necessitatem posse sine vestibus sacris conficere, & sine pane azymo, & sine integritate sacrificij. Secretè, inquit, accipiendo fructum panis & conficiendo, & dando agrotis. Iuxta quam sententiam non oportebit, vt Sacerdos non ieiunus comunicet, sed solum, vt conficiat ad communicandum alium. Veruntamen haec sententia illa amplitudine ab omnibus rejicitur, & merito; quia multa continet contra reuerentiam sacramenti; & contra Ecclesiae consuetudinem: Vt ergo in praesenti casu habeat aliquam probabilitatis speciem, supponamus, tantum deesse hanc circumstantiam ieiunij, & tunc sane videtur probabile, posse Sacerdotem conficere, vt proximo subueniat: nam vt Bernardus dixit in lib. de praecipio & dispensatione, quae propter charitatem introducta sunt, non debent contra charitatem militare, sed charitas obligat ad subueniendum proximo in tam graui necessitate: ergo non est verisimile Ecclesiastico praecipio impediri, ne id fiat. Et confirmatur primo, nam tunc vrget praecipium diuinum communicandi in articulo mortis; quod sicut obligat agrotum ad communicandum, ita etiam ministros Ecclesiae ad dandum sacramentum: ergo, sicut haec de causa potest agrotus accipere non ieiunus, potest etiam Sacerdos conficere non ieiunus. Confirmatur secundo, quia propter similem proximi necessitatem potest Sacerdos conficere, sine confessione praemissa; ergo multo magis potest conficere absque seruato ieiunio. Antecedens supra est à nobis traditum; consequentia vero probatur, quia obligatio praemittendi confessionem oritur ex iure diuino; haec vero de praemittendo ieiunio ex iure Ecclesiastico. Si ergo haec censetur sufficiens causa, vt cesset obligatio iuris diuini, cur non erit etiam sufficiens, vt cesset obligatio iuris Ecclesiastici? nam etiam leges Ecclesiasticae non obligant cum tanto rigore; sed cessant propter graues causas. Si autem potest tunc Sacerdos conficere, potest, imo & debet etiam communicare: quia praecipium perficiendi sacrificium, & consummandi illud, strictius obligat, quam praecipium ieiunij communicandi, vt inferius latius tractabimus, & colligitur ex cap. Comparimus, de Consecr. distinct. 2.

*Sacerdoti non ieiunio ob al-* Nihilominus auctores frequentius censent, hoc non licere. Ita Palud. in dist. 8. quaest. 2. num. 9. Gabr.

quaest. 2. art. 5. Soto & Ledesma hic. Victor. in Summa 83. Nauarr. in Summ. cap. 21. nu. 53. Palacius, in 4. dist. in 9. qui addidit, ex dispensatione Episcopi potest hoc fieri, non tamen sine illa: quod mihi non probatur, quia, si in eo casu hoc praecipium ex se non obligat, non est necessaria Episcopi dispensatio: si vero obligat, non potest Episcopus dispensare: quia est auctoritas, vel consuetudine constat, datam esse Episcopo facultatem dispensandi in illo; per se autem non potest inferior in lege superioris dispensare. Fundamentum ergo huius sententiae est, quia consuetudo Ecclesiae ita interpretatur hoc praecipium. Item, quia non est hoc minus graue, quam alia praecipia pertinetia ad ritum seruandum in hoc sacramento conficiendo; vt sunt praecipium conficiendi in azymo, aut cum vestibus sacris: haec autem & similia praetermittenda non sunt propter communicandum agrotum. Tertio est ratio vniuersalis, quia hoc sacramentum, sicut maioris est dignitatis, ita minoris est necessitatis: ergo in simili euentu maior est habenda ratio reuerentiae debite sacramento, quam necessitatis proximi: quia haec non est necessitas simpliciter seu medij: necessitas autem praecipii tunc non vrget ex parte sumentis: quia non est in potestate eius sumere, nisi sit, qui possit dare; neque etiam ex parte dantis: quia solum tenetur dare, quando commode potest cum debita exteriori reuerentia, & seruato conueniente ritu praescripto ab Ecclesia, quae propterea prouidit; vt semper seruetur Eucharistia pro infirmis, ne propter euentus similes hoc auxilio priuentur, vt patet ex Concilio Niceno, c. 14. & cap. Presbyter. de Consecr. distinct. 2. Dices his rationibus probaretur, etiam propter propriam necessitatem hominis agrotantis, & communicaturi, non licere ei dare communionem post cibum & potum, quia etiam respectu illius non est sacramentum necessitatis: & maior est habenda ratio reuerentiae sacramenti. Respondetur, Ecclesiasticam consuetudinem declarasse, in eo casu non obligare praecipium & hoc satis est. Deinde non est eadem ratio, quia propria necessitas hominis communicaturi est necessitas intrinseca, & quae formaliter frequenter accidit: & ideo nec oportuit, neque decuit, vt tunc impediretur homo à susceptione sacramenti, propter humanum impedimentum, quod vitare non potest: at vero necessitas ex parte ministri est valde extrinseca, & accidentaria, quae moraliter rarissime potuit accidere, supposita prouidentia, quam Ecclesia habet, seruandi Eucharistiam pro infirmis. Et ideo non fuit expediens, vt propter similem necessitatem daretur occasio violandi hoc praecipium, & male illud interpretandi.

Ad exemplum ergo illud de confessione praemittenda, primo in genere dicitur, aliquid praecipium Ecclesiae posse vniuersaliter obligare, quam aliquid praecipium diuinum, si materia id requirat: quia licet praecipium immediate feratur ab Ecclesia, effertur tamen in potestate à Christo data, & habet vim obligandi iuxta exigentiam vniuersalis materiae, & saepe est determinatio quaedam iuris diuini à humana, vt in proposito de iure diuino est, vt in hoc sacramento conficiendo exterior reuerentia ac decencia seruetur: modum autem huius reuerentiae determinauit Ecclesia per potestatem sibi à Christo concessam. Deinde in particulari potest assignari differentia inter haec duo praecipia. Primo, quia necessitas conficiendi: absque confessione praemissa, est moralis: & quae saepe accidit: necessitas autem conficiendi post cibum & potum est rarissima, & quasi speculatiua: leges autem morales traduntur iuxta ea, quae moraliter accidunt. Secunda, quia confessio non propter se praecipitur, sed vt medium ad iustificacionem; quae est dispositio per se necessaria ad hoc sacramentum: deficiente autem illo medio, potest aliud

aliud applicari, quo eadem dispositio obtineatur, scilicet, contritio: & ideo potest illud præceptum sepius non obligare: quia, licet desit confessio, non necessario desit gratia, quæ est dispositio per se intenta: at verò in præsentia fertur ieiunium, quod est exterior dispositio per se intenta per præceptum. Tertia addi potest, quia, licet interior dispositio per se sit maior: tamen quoad homines, exterior reverentia solet esse valde necessaria: & ideo, ne hoc sacramentum indigne tractetur, aut tanquam vulgaris cibus conficiatur, & distribuatur, voluit Ecclesia, ut hæc præcepta de exteriori ritu, quoad fieri moraliter possit, multo libenter serventur: atque adeo, ut propter priuatas causas, rarissimas & speculatiuas potius, quam morales, non prætermittantur. Magis enim expedire censuit, profusus auferre occasiones male interpretandi præceptum, & irreuerenter tractandi sacramentum, quam propter huiusmodi euentus raras licentiam dare operandi aliter, quam præceptum est.

Atque hinc colligitur, non habere locum in hoc præcepto omnes casus supra enumeratos in præcepto de præmittenda confessione, propter rationes factas: quin potius, ut dixi, Doctores nullum alium casum expresse excipiunt ex parte recipientis humane, nisi solum periculum mortis hominis communicari. Adeo ut Nauar. d. 21. n. 53. dicat, etiam propter vitandum scandalum, non solum hoc sacramentum sumere post cibum & potum. Sed fortasse per scandalum intellexit solam populi admirationem: vel certe locutus est moraliter, quia ex hoc, quod homo non sit ieiunus, moraliter loquendo, non sequitur scandalum: quia multis de causis accidere potest, quod homo non sit omnino ieiunus absque vlla culpa: quod autem homo non ieiunus propter eam causam non communicet, non solum non est culpa, quin potius est virtus: ex hoc ergo, moraliter loquendo, non potest sequi scandalum, vel, si sequatur, aut erit mere passivum, aut facile alijs modis vitari potest, nihilominus tamen, si constitutur casus, in quo reuera sequatur scandalum verum & graue, quod aliter vitari non possit, non dubito, quin propter illud vitandum cesset obligatio huius præcepti: quia spiritualis salus animarum, & obligatio charitatis Dei & proximi, est maior; & ita hæc exceptio de vitando scandalo, in omnibus præceptis locum habet, vbi contrarium non est extrinsecè malum. Maxime, quia cum huiusmodi scandalo semper est coniuncta grauis aliqua infamia eius, quæ scandalum præbet, ob quam vitandum cessare etiam communiter solet obligatio legis positivæ; quæ non obligat cum tanto onere ac discrimine. Atque in hunc modum interpretandi sunt reliqui authores supra citati, qui hunc casum non exprimunt, non quia illum excludere intendant, sed quia & raro moraliter accidit, & regula, de vitando scandalo, & propria infamia, tam tam generalis est, vt eam in singulis rebus declarare non sit necesse.

SECTIO VI.

Quibus in casibus liceat Sacerdoti non ieiuno communicare propter reverentiam sacramenti, & perfectionem sacrificii.

Tres casus proponuntur in quibus sacrificium non ieiuno communitate licet. Primum, quando Sacerdos loco vini aquam calici infundit, atque id non aduertit, donec illam sumptum post consumptam hostiam: tunc enim debet iterum consicere & sumere, vel vtramque speciem, vel saltem sanguinem, vt perficiat sacrificium: quia hoc

magis necessarium est, quam communicare ieiunium. Ita D. Thomas infra q. 83. art. 6. ad 2. vbi de re iterum redibit sermo; & nonnulla supra attingimus, disp. 5. sect. 4. Præterea idem est, si aliquis post inchoatum sacrificium, præsertim post consecrationem alicuius speciei, recorderetur; se aliquid comedisse, aut bibisse, imò licet mala fide & peccando ad sacrificium accessisset post cibum & potum, consecrata altera specie, teneretur iam non desistere ab inchoato mysterio: donec illud consummet, & ideo, si sui peccati poenitentiam agat, poterit etiam tunc digne communicare. Dico autem, post consecratam saltem alteram speciem, nam, si antea recorderetur, D. Thom. supra tutius reputat, omittere Missam, etiam iam inchoatam quoad partem, quæ consecrationem antecedit, quod intelligendum est, quando potest fieri sine infamia, vel scandalo. Cum vero D. Thom. dicat, hoc esse tutius, planè sentit, non esse necessarium, vt idem latius dicemus. Præterea idem esse censeo, quando Sacerdos, qui sacrificium inchoauit, & ægritudine correptus, non potest illud perficere, & ab alio Sacerdote perfici debet, iuxta decretum Concilij Tolos. VII. in c. Nihil, 7. q. 1. tunc enim, si non adit Sacerdos ieiunus, qui possit perficere sacramentum, potest & debet illud perficere alius Sacerdos, etiam si aliquid comederit, vel biberit; propter eandem rationem scilicet, quia magis interest perfectio sacramenti, nam quod personæ sint diuersæ vel eadem, nihil refert, vt idem Concilium Tolos. dixit, quia, ex vtraque persona vnus minister Christi componitur.

Secundus casus est, si necessarium sit Sacerdoti sumere reliquias huius sacramenti, post fractum ieiunium: vt v. g. post sumptam calicis ablutionem: illa enim reliquiarum sumptio, vera est huius sacramenti communicatio: quia tam est totus Christus sub qualibet reliquia, sicut sub toto sacramento. Circa hunc vero casum diuisi sunt aliquo modo authores: quidam enim negant, licere sumere has reliquias post cibum, vel potum. Ita Palud. in d. 9. q. 1. in hinc. D. Anton. 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 9. Summ. Rosel. verbo, Euchar. 3. §. 13. quibus fauet Concil. Matifcon. I. cap. 6. quod præcipit has reliquias dari hominibus ieiunis. Et fundamentum huius sententiæ potest esse supra tactum: quia sumptio harum reliquiarum est vere communicatio huius sacramenti: ergo non est, cur permittatur homini non ieiuno. Contrarium vero, scilicet, hoc licere Sacerdoti, tenet Caietanus in Summa, & latus tomo secundo, Opuscul. tractat. 33. de Celebratione Missar. questione prima. Syluest. verbo, Eucharist. 3. & Soto in 4. distinctione 12. questione 1. artic. 8. Victor. in Summa, num. 83. Nauarr. in Summa, cap. 23. num. 59. Sed fortasse hi authores non docent contraria; nam priores intelligi possunt, quando reliquias sumuntur per se, ac per modum communionis integræ: nam tunc reuera sumi non debent, nisi à ieiunis; per se etiam loquendo, ac seclusa alia graui necessitate, vt ratio facta probat. Posteriores vero authores intelligendi sunt, quando sumptio reliquiarum solum est circumstantia, & quasi complementum actionis sacrificandi, & conuiuij ibi peracti: atque ita fundamentum eorum est optimum: scilicet, quia tota illa actio Sacerdotis est per modum vnus moralis actionis integræ, & ad totam illam accessit ieiunus: ergo impletur præceptum Ecclesiæ, nec postea frangit illud, etiam si aliquid sumperit, prius quam totum sacramentum consummat: quia totum illud ordinatur, & moraliter est necessarium ad perficiendam suam actionem & ministerium suum huic sacramento debitum. Potest autem hæc ratio varijs exemplis confirmari; primo in die Parasceues, quando particula hostiæ consecrate vino miscetur, & postea sumitur. Tunc enim moraliter loquendo, prius sumitur aliqua pars vini, quam particula consecrata, & idem contingit, quotiescunque corpus Domini accipitur in vino, quod propter necessi-

D. Thomas.

Conc. Tolos. VII.

Secundum.

Paludan. U. Anton. Sum Ros. Conc. Matif.

Caietan. Syluest. Soto.

Victoria. Nauarr.

Tres casus proponuntur in quibus sacrificium non ieiuno communitate licet. Primum.